

## HISTORIÆ SILVÆ NIGRÆ.

75

SECULUM  
XII.

*est* del b) coram *Frideric*o duce *Suevorum* c) astantibus fidelibus meis scilicet *Radeper*to de *Otholfesman*c. *Herimanno* de *Marcdorf*. *Rod*eperto de *Crumbach*. *Werinhero* de *Raderei*, *Ogozo* de *Ringinbusin*. *Luipuldo* de *Degginbusin*, ac ministerialibus meis *Hainrico* de *Walpurc*. *Herimanno* de *Vurte*, & cæteris quam plurimis, trado Deo & S. *Blasio* mancipia in *Nendingen*, scilicet *Ioticba*, *Irmingart*, *Nabhilt*, filias *Operti* de *Wilare* apud *Ravinspurch* d) cum omni posteritate earum ob remedium animæ meæ, omniumque parentum meorum, in servitutum omnium ibi Deo fervientium. Et si quis hoc irritare præsumpserit, coram Deo & angelis eius iudicatus gehennales semper sentiat cruciatus. Facta autem sunt hæc anno ab incarnatione Domini. MCXL.

- b) Videtur hic esse locus in historia *Germaniæ* mediæ notissimus *Königstabl* prope *Kensam* oppidum in *Coloniensi* tractu ad *Rhenum*, ubi olim novi electi *Germaniæ* reges aut cæsares proclamabantur, unde ei quoque nomen adhæsit. Datas ibi etiam fuisse chartas in principum conventu testatur charta *FridERICI* ducis *Sueviæ* universis principibus totius *Sueviæ* in publico placito, loco qui dicitur *Kunigstabl*, confidentibus an. 1185. apud P. Herrgott Cod. Prob. T. II. P. I. p. 196.
- c) Fuit hic *Fridericus*, frater *Conradi* III. imp. *Barbarossa* dictus, dein Cæsar, tum vero dux *Sueviæ*, cui *Welfo* iste acceptissimus erat, de quo plura in *Originibus Guelphicis* T. II. p. 359. seqq. ubi tamen p. 368. perperam primum anno 1153. in conventu Procerum *Constantiæ* eidem ducatum *Spoleti*, marchiam *Tusciæ*, Principatum *Sardinia* & domum comitiſſæ *Mabildis* a rege *Frideric*o collatum esse asseritur: dum ex hoc ipso diplomate contrarium constat. Ac forte id non nisi confirmatio fuit aut restitutio harum terrarum *Italicarum*, quæ ei ex hereditate obtigerant. Cæterum, quæ l. c. p. 360. habentur de victoria *Welfonis* contra *Luipoldum Austriæ* marchionem, cui *Bavariæ* ducatus *Henrico Welfonis* fratri ereptus a *Conrado* III. imp. adiudicatus fuerat, in obsidione arcis *Valeia* reportata, egregie faciunt ad illustrandam historiam *Adelberti* II. comitis de *Bogen*, in illa obsidione an. 1140. sagitta percussus, & dein apud S. *Blasium* sepultus, de quo pluribus T. I. *Silvæ Nigræ* p. 403. seqq. egimus.
- d) *Welforum* ditiones circa *Ravenspurgum* amplas fuisse vel celebre *Weingartense* monasterium apud *Altorf* ab ipsis fundatum argumento est.



N. L.

*Hermannus* episcopus *Constantiensis* dotationem  
monasterii *Engelbergensis* confirmat.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: sicut ea, quæ prava sunt & Deo contraria, convenit evellere ac destruere, ita e diverso ea, quæ sunt Deo amabilia ac religiosa, stabilire atque roborare ex Dei præcepto & nostro officio constringimur. Ea propter id, quod prædecessor noster B. memoriæ *Udalricus* a) episcopus, in monte *Angelorum* initiavit

K 2

ac

- \*) Haud facile dixerim, primus ne *Udalricus* *Consunt.* episcopus, vel secundus eiusdem nominis fuerit, monachus antea *San-Blasianus*. Bullam *Callisti* II. P. pro eodem monasterio dedimus supra

Anno 1148.  
20 Dec. Ex  
archiv. En-  
gelberg. T.I.  
p. 422.